



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

§.40. Vanum Chilperici ingenium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

vestiantur, ne cogantur vagari. Hæc ^{Sæculum VI.}
 Guntramo regnante acta sunt. ^{A. C. 579.}

§. XL.

Vanum Chilperici Ingenium.

Rex Chilpericus, de rebus ad Religio- ^{Greg. V.}
 nem pertinentibus decernere, ultra ^{hist. c. 45.}
 quam fas est, præsumens, edito Rescri-
 pto iussit, ut Sancta Trinitas simpliciter
 Deus sine Distinctione Personarum ap-
 pellaretur, quod diceret, indignum esse
 Deo, ut ipsi nomen Personæ tanquam
 homini corporeo tribueretur, & affirma-
 ret, eundem esse Patrem, Filium & Spi-
 ritum Sanctum. Postquam istud Rescri-
 ptum coram Gregorio Turonensi recita-
 ri præcepisset, dixit ad Episcopum: *vo-
 lo, ut hæc sit Fides vestra, tua nempe &
 cæterorum, qui in Ecclesiis docetis.* Gre-
 gorius respondit: *dimitte hanc Fidem,
 Rex! & illam serva, quam Doctores Apo-
 stolorum Successores, quales sunt S. Hila-
 rius & S. Eusebius, nos docuerunt.* (de
 S. Eusebio Vercellensi loquebatur) *Cre-
 de, quod ipse in Baptismo confessus es.*
 Rex iratus dixit: *scio me neminem magis
 Hilario & Eusebio in hac re habere ad-
 versarium.* Gregorius: *cave sis, Deum
 & Sanctos ejus offendas. Non Pater in-
 carnatus est, nec Spiritus Sanctus, sed
 Filius. Filius passus est, non Pater, aut
 Spiritus Sanctus. Hæc vero distinctio*

Sæculum VI. *non, sicut tu mente concipis, in sensu materiali, ut in corporibus, sed spiritualiter accipienda est.*

Rex necdum mitigatus inquit: *mentem meam explicabo aliis te doctioribus, qui mihi facile assentientur.* Cumque post paucos dies S. Salvius Albigensis ad Regiam venisset, jubente Chilperico idem Rescriptum ipsi prælectum est. Exhorruit Vir Sanctus, & lacerasset Rescriptum hæreticum, si illud apprehendere potuisset. Rex videns, Episcopos tantopere sibi adversari, a proposito discessit. Hymnos quoque & Missas composuit, quæ nemini probabantur. Præterea alios libros stilo ligato, Sedulii versus imitari conatus, scripsit; verum Syllabarum dimensionem imperitus negligebat. Quatuor litteras Alphabeto addere Regia Auctoritate volebat, missisque per omnes Civitates Regni sui Mandatis, parvulos secundum hanc novam methodum informari & veteres Libros secundum novam suam orthographiam corrigi præcepit. Sed nemo imperata fecit. Chilpericus in privatis colloquiis detrahere Episcoporum famæ solebat, & cavillabatur. Conqueri auditus est, quod soli Episcopi regnarent, hi totam sibi arrogarent Auctoritatem, & Ecclesia omnibus divitiis sola potiretur.

§. XLI.